POETÆ RUSTICANTIS LITERATUM OTIUM:

SIVE,

CARMINA

Andreæ Franciſci Landeſii.

Secunda Editio priori auctior.

LONDINI:

Impenſis BERNARDI LINTOTT, Bibliopolæ Londinenſis. MDCCXIII.

B L

PRÆFATIO,

Quâ Zoili adnotantur.

INSANIUNT meherclè qui omnibus ſtudent placere. Nullus eſt tam limati ingenii Scriptor, nullus tam diligens poëta, qui non aliquam reprehenſionis ſubeat notam. Cenſorum gens eſt pallida, ſubagreſtis & moleſta, livori pluſculùm indulgens: Quæ alienam virtutem elevat, deperit ſuam. Quid eſt imprudentius? Non olim defuere,

qui Virgilium arguerint. Habebatur tamen Virgilius poëtarum facilè princeps. Sunt & hodiè qui Bavii & Mævii ſtolidam garrulitatem curiosè imitantur: Homines invidi, malè cordati, & qui delicatiores litteras vix primis labris deguſtarunt. Horum judicia quis ſanus reformidet? Mihi quidem gratulor & diù gratulabor, qui viris tantùm politioribus placuerim. Carpant me tenebriones inſulſi, turpiculi ſcurræ: Illorum convicia ſecurus dedignor. Nam neque Corvos tangit Philomelæ cantus, neque Midam auritum movet Apollinei plectri elegantia.

Londini, pridie cal. Mai,
an. MDCCXIII.

JO-

JOANNI FABELLO,

Poetæ Elegantissimo

S. P. D. A. F. L.

CUM phaleucorum meorum legeres libellum, mî Fabelle, tibi non ingratum fore animadverti, ſi paucula de ejuſmodi carminibus præfarer. Quod quidem eò lubentiùs feci, quòd tuæ inſerviendo voluntati, indoli inſervirem meæ. Nihil enim operoſius unquam putavi, quàm denegare aliquid, præſertim amico juſta & æqua poſtulanti. Accipe itaque quidquid eſt muneris, quod non tam ſuâ elegantiâ ſuóque nitore, quàm mei in te amoris commendatione &, ut ita dicam, ſigillo valet.

Datum Luteciæ Pariſiorum, VII. Cal. Jul. an. MDCCIX.

Phaleuci, ut reliquorum ferè verſuum, origo à Græcis repeti debet. Nec mirum: ſiquidem præclara omnia apud eos enata perhibentur. Quod verò ad illius inſtitutionem pertinet; referunt antiqui codicilli poëtam non ignobilem in eo carminis genere adeò excelluiſſe, ut ſuum ipſi nomen, quod erat φαλαικὸς, indiderit. Ab aliis etiam vocatur ἑνδεκασύλλαβον; quæ vox denotat verſum undecim conſtantem ſyllabis.

Argutum

Argutum ingenium, luſus reciproci, teneræ dicacitates, & lepor haud omnibus notus, ad componendum Phaleucum requiruntur. Unde poëtam qui hoc verſu delectatur, ingenio verè acuto & facetâ imaginandi vi debere eſſe puto. Facilitatem Catulli, Petronii feſtivitatem imitetur, qui nihil unquam niſi dictante unâ è Charitibus protulêre.

Quàm ſuaviter Catullus mortuum ſuæ Lesbiæ paſſerem deflet?

Lugete O Veneres Cupidinéſque,
Et quantum eſt hominum venuſtiorum,
Paſſer mortuus eſt meæ puellæ, &c.

Quàm vividè hendecaſyllabos omnes invocat, illatam à puellâ ulturus injuriam?

Adeſte hendecaſyllabi quot eſtis,
Omnes undique, quotquot eſtis, omnes, &c.

Quid ad Petronii venuſtatem addi poteſt? nativâ pulchritudine carmen ejus effloreſcit, nativiſque luxuriatur ornamentis. Nec dubitant viri ſanè ingenioſi illum reliquis Romæ ſcriptoribus anteferre: utrùm meritò, judicent docti. In hoc tamen conſentiunt omnes, quòd nihil carmine illo, cui auſterior virtus vix reſiſteret, blandius ſit ac jucundius.

Qualis nox fuit illa, Dî deæque!
Quàm mollis thorus! haſimus calentes,
Et transfudimus hinc & hinc labellis
Errantes animas, &c.

Verùm

Verùm, ut aiunt, cùm Petronium adimus, non ſapientiæ ſed voluptatis adimus magiſtrum. Mollis enim & affluens Neronianis deliciis aula poëtam minùs caſtum facilè patiebatur.

Licèt ad informandum phaleucorum ſcriptorem Catulliana inprimis valeat lectio: deſideratur tamen naturæ teneritas quædam ac mollities quæ in hoc carminis genere multùm poteſt. Sola enim & operis ſuppeditat materiam, & opus ipſum appoſitè ordinat. quæ duo maximè obſervanda ſunt.

Utrumque ex poëtis intelligendum eſt, qui ut hexametro ad facta heroum celebranda, pentametro ad amores vel dulces vel amaros, ſic phaleuco ad res ludicras & jocis aptas uſi ſunt. Venus itaque principem in hendecaſyllabis locum obtinet: teſtis Catullus & quotquot Catullum imitati ſunt. Friget enim poëſis niſi amore condiatur; amor muſis præcipuum addit decus.

Ad phaleucum pertinent etiam epiſtolæ, quales camœna M. A. Flaminio dictabat, quæ neſcio quid ſpirant molle, fluens, & delicatis auribus peramœnum. Sit hæc ipſius ruſticantis epiſtola.

Strozzam Flaminius ſuum ſalutat
Benaci liquidam ſedens ad undam
Sub myrto beneolente, dum ſuperba
Terit limina principum miſellus
Strozza, &c.

Sed ne diutiùs in ipſo limine moremur: alterum nobis eſt perpendendum accuratiùs, nempe ſermo ille ſoli phaleuco peculiaris, cujus partes muſico velut in concentu a-

liæ

liæ aliis debent in numerum ſuccedere. Hæc itaque harmonia ex blandioribus modulis verbuliſque concinnioribus conflatur, quæ nec inani copiâ luxurientur, nec otioſum aliquid terſis auribus offerant, neceſſe eſt. Tale mihi videtur illud de Vetturii morte carmen.

Etruſca charites, camœnæ Iberæ,
Hermes Gallicus & Latina Siren, &c.

haud minùs feliciter luſit Sannazarius in tumulum Maximillæ.

Hìc hìc ſiſte precor gradum, viator,
Hoc ſub marmore Maximilla clauſa eſt,
Quacum frigiduli jacent Amores,
Et Luſus, Venereſque, Gratiaque, &c.

Sed illa verba, quæ auribus adeò ſuaviter lenocinantur, poſſunt aliquando repeti & eundem referre ſonum tam in fine quam in carminis initio: quod quidem licèt in aliis poëmatiis vitio, hìc tamen laudi vertitur.

Nec timeat quiſquam ne in quærendis elegantiis totus eſſe videatur. Hæc enim cura, modò ſit nativa, phaleucos mirum in modum ornat & perficit. Quapropter nulli ſuadeo ut hos verſus niſi dextro Apolline componat, aut in his componendis multùm deſudet. Sed potiùs cùm vino incaleſcit, vini laudes, duce Anacreonte, celebret: cùm blando Veneris ardet igne, canat Venerem, jocoſaſque, prout ſe dabit occaſio, jocosè narret hiſtoriolas, nunc ſtratus ad lene caput rivuli, nunc patulæ arboris ſub tegmine reſupinus.

Pauca

Pauca ab arte mutuatur natura: quæ verò mutuetur, ſatis multi explicuêre. Delectum itaque verborum omitto, dulcem epithetorum conſortionem, & alia quæ ſolius rationis auxilio & aſſiduâ poëtarum lectione cuique innoteſcunt. Ac præterea nobis, ut ait Buchananus,

Turpe eſt grammaticis ſupponere colla capiſtris.

Ad unum tamen curioſiùs attendendum eſt, nempe ad nugatorias illas voces, quibus conceſſum videtur teneros animi ſenſus eleganter exponere. diminutiva intelligo, quorum copiam non temnendam ſuppeditabit J. Cæſar Scaliger in libellis quos inſcripſit, *Anacreontica*, & *Manes Catulliani*. nec ſi quis talia verba fortaſſe effingat, peccâſſe eum haud ita graviter crediderim, modò regulas ſervet, quæ à Latinæ linguæ principibus ſolent præſcribi.

Iſta quidem ſunt joci, fateor, ſed his jocis delectantur camœnæ. Nec enim ſemper amant numeroſam verborum ſonorè fluentium complexionem, illorum imperatorum exemplo, qui poſt decerptas lauros cavillari manuſque triumphales ludis accommodare puerilibus non erubeſcebant. Unde effatum illud non indecorè à veteribus dictum putavi; major eſt in ludo bellè ficto quàm in magnis prælariſque operibus ſæpe difficultas. Quapropter mollioribus his verbis argutæ ſententiæ ſaleſque urbani reſpondeant neceſſe eſt. Alioquin phaleucus eſſet pulchra capitis & bene compta ſpecies, ſed quæ cerebro, ut ait fabula, careret.

Cæterùm ut in hendecaſyllabis ſuavitas & delectatio maximè requiritur, ita vitandum eſt diligenter quidquid ab eâ alienum eſt. Vitioſus fit phaleucus, ſi numeri ſint

aſperiores, ſi verba hiantia ſibi invicem occurrant, ſi pedes nullâ ſecum alligentur cæſurâ. quod ultimum ut ſemper quæri non debet, ita nec negligi.

Ex his facilè ſanus quivis intelligit quàm operoſum ſit non unum phaleucum ſcribere, ſed librum phaleucorum, quod olim de epigrammate dixit Martialis.

POETICUM VATICINIUM.

AT non decipior! carmina poſteri
Laudabunt memores, carmina Boſporus,
Et triſtis repetent culmina Caucaſi.
Ibo, nec ſtolidâ ludor imagine;
Ibo per populos, & mihi Delphicis
Frontem Calliope frondibus ambiet.
Dicat, quâ Lodoix noſcitur inclytus,
Nec mors atra faces injiciet mihi.
Quin dum regna fero ſubruet impetu
Naturæ genitor, vanaque principum
Alato fugiet gloria turbine,
Pars noſtri melior vivet, & aſpera
Ridebit Stygii murmura littoris.
Hæc te fama manet qui leve tinnulo
Pulſas ingenuus pectine barbiton.
Sed quis læta furor pectora concutit?
In Pindum rapior, Pegaſus alite

Dorſo

Dorſo me liquidum ferre per æthera
Geſtit, non humili lætitiâ tumens.
Ut Cyrrhæa procul ſubſiliunt vada!
Ut me Virgilius ſtringit amicior!
Ut collo tereti Flaccus in oſcula
Tendit prona levis! plaudite, plaudite,
Nil ſacro enituit vate beatius.

PHALEUCORUM

LIBER PRIMUS.

Ad JOANNEM FABELLUM.

NON aurum tibi, nec, Fabelle, gemmas,
Non mitto calices, lapilluloſve,
Et quidquid cupit æſtimatque vulgus.
Blando talia mitterem puello!
Blandæ talia mitterem puellæ!
At tibi lepidum novum libellum,
O mî candidior Fabelle, mitto:
O lux, ô columen Fabelle Pindi,
Quem plus Aonides ſuo Catullo,
Quem plus Phœbus amat ſuo Marone.
Hunc inquam lepidum novum libellum,
Quæſo, perlege molliore vultu;
Uni nam tibi ſi placere poſſit,
Uno plus poterit placere ſeclo.

Ad GERRIUM.

MEllitiſſime Gratiarum ocelle,
Amemus precor, & precor bibamus:
Dum feralis abeſt procul ſenecta,

Dum

Dum licet teneris vacare ludis,
Amemus precor, & precor bibamus.
Nam quid nôſſe juvat, venuſte Gerri,
Quidquid Socraticæ ſonant columnæ,
Quidquid horridior ſonat Cleanthes?
Iſta, crede, precor, ſophi requirant,
Quos lædit ratio, chimæra paſcit.
Sed nos, chara nimis Deis corona,
Lenæi comites Cupidiniſque,
Amemus precor, & precor bibamus.

In VOLUCREM.

AVis bellula, delicatulumque
Fundens ore melos, meam ſubivit
Nuper præcipiti domum volatu,
Dum Flacci legerem dicacitates,
Flacci nectare dulcioris omni.
Nempe vel volucres amant camœnas,
Nec dulcem nemorum comam virentûm,
Nec curant ſobolem domi relictam,
Ut vatum alloquio queant potiri.
Et nos deſpicimus ſacros poëtas!
Nos, qui tot ſtudiis, labore tanto
Vanam quærimus eruditionem.

Ad COTTAM.

OCottam egregium atque delicatum!
Non ſapit tibi cultior Lycoris,

Illa quæ ſaperet Jovi Lycoris:
Sed ſapit tibi fœdior Meliſſa,
Quæ vix horridulo ſapit popello.
O Cottam egregium atque delicatum!

Ad CORINNAM.

CRas cœnare volo, Corinna, tecum,
At lautè nimis, & nimis ſuperbè
Non cœnare volo, Corinna, tecum.
Adſit præ reliquis tenella perdix.
Ornet blandula turturilla menſam,
Perfrictuſque capo, columbulique,
Quos cingat viridi ſiſer coronâ.
Adſint melliculis operta cruſtis
Miſcellanea blanda ſaccharorum,
Et quidquid tenero ſapit palato.
Adſit dulce merum, tibi quotannis
Quod Campania mollicella mittit:
Adſit ille liquor, liquor jocoſus,
Quem ſi dî ſemel & deæ bibiſſent,
Semper dî biberent deæque ſemper.
At, quod te monitum velim, Corinna,
Hinc abſint tetrici procul Catones.
Hinc abſit tetricus procul Sophiſta
Qui nos frigidulo mero madentes
Premat Socraticâ loquacitate.
Hæc ſi blandiculis Corinna verbis
Et vultu quoque condias ſereno,
Non divûm cupiam aſſidere menſis.

In EANDEM.

NUnc ſi viveret acrior Catullus,
Quin & tu quoque viveres Propertî,
Propertî venerum tenelle doctor!
Non tot Lesbia verſibus petita,
Non tot Cynthia laudibus decora
Et tibi placuiſſet hercle & illi.
Adeſt candidior puella mecum,
Quæ formâ petit igneoque vultu
Omnes delicias Catullianas,
Quæ geſtu petit elegantiiſque
Omnes mollicias tuas Propertî,
Propertî Venerum tenelle doctor.

DELUSUS CUPIDO,

Ex Gallico Clementis Maroti.

MOllis ille puer tenelluluſque,
Immitis tamen & timendus hercle,
Nuper depoſito ambulabat arcu.
Cùm vidit teneram meam Lycorim,
Quæ bellâ cute, candidoque vultu,
Quæ blandis ſimulat deam labellis;
Ut vidit, Venerem ratus videre,
Sic, inquit, mea mens, mei lepores,
Sic te, mater, amo atque amabo ſemper,
Ut quidquam mage vix amare poſſim.

Hìc

Hìc illa erubuit, ſimulque ridens,
Quo ridere ſolet Cythera vultu,
O mî pupule mollicelle, dixit,
Emori cupio & perire tota,
Ni cunctos tibi ſerviam per annos.
Senſit improbulus dolum Cupido,
Et manu niveos ſecans amictus,
Et manu roſeos ſecans capillos,
Feſtino petiit polum volatu.
At quid flere juvat, puelle, tantum?
Quid flendo nitidi rubent ocelli?
Quid flendo teretes genæ madeſcunt?
Si te candidior puella fallit,
Poſſet fallere vel deûm parentem.

In VETTURIUM.

NUper Vetturio meo parabam
Dulces inferias, jocoſa ſacra,
Quæ pater meruit dicacitatum,
Quæ pater meruit facetiarum.
Cum me talibus arguit Cythera,
Mollis Vetturii parens Cythera:
Dulces inferiæ, jocoſa ſacra
Extinctos, fateor, decent poëtas.
At Phœbi æmulus, arbiterque Pindi
Vivit Vetturius meus tuuſque,
Vivet Vetturius meus tuuſque.

Ad AMICOS.

Bibamus, ſocii, bibamus oro,
Canamus ſimul, & ſimul jocemur.
Sic vivit Bromius, Cythera vivit,
Sic & dî ſuperi deæque vivunt:
Vivamus quoque ſic mei ſodales.
Vento nam fugit ocyor juventa,
Vento nam ſubit ocyor ſenecta.
Ergo ne, ſocii, moremur oro.
Neſcit lapſa ſemel dies redire.
Fruſtra delicias breves queremur,
Fruſtra mollicias breves queremur,
Nam, quidquid miſeri queremur uſque,
Senſim nos vigilem trahet ſub orcum
Malis Jupiter imperans tenebris.
Quóque vita minùs fuit jocoſa,
Quóque vita minùs fuit venuſta,
Tantò major erit, jubente fato,
Quæ nos pœna manet, boni ſodales.

In LYCORIM.

DA, puer, cytharam precor ſonantem,
Da puer cytharam: canamus oro
Terna baſia, baſia illa terna,
Illa baſia quæ mihi Lycoris,
Blandicella dedit mihi Lycoris.
O jucundula pectoris voluptas!
O mî ſuavia dulciora melle!

O lingua humidulo petita morſu,
Implexiſque animæ labris vagantes!
Non, ſi me ſuperas vocare ad ædes
Velit Jupiter uſquequaque, non, ſi
Æternam tribuat mihi juventam,
Palladiſque thorum venuſtiorem,
Non hoc te pretio, puella, linquam.

Ad EANDEM.

MOnſtra dulciculas mihi papillas,
Monſtra lacteolos ſinus puella,
Inter candidulas puella nymphas
Candidiſſima: fare, quid moraris?
Quid pectus ſtrophio nitente velas?
Audi me mea, me Lycoris audi,
Per deos rogo, me Lycoris audi.
Quid fles? quid laceras comam innocentem?
Tuo Nymphula cede, cede amanti:
Tende dulcia labra, tende ocellos,
Nec blandam renue oſculationem.
Fruſtra conquereris, tibique fruſtra
Inſulſus pudor aut metus recurrit:
Cede Nymphula, ſic venuſta quondam
Ceſſit magnanimo Cythera Marti.

Ad COTTAM,

Legionis in Belgio ducem.

HUC ô dum rabidus cruenta Mavors
Ponit fulmina bellicumque murmur,

Huc ades celeri precor volatu,
Ades blandule, blandicelle Cotta.
Sat belli furiis datum, quieſce;
Fumantemque ſagax relinque laurum,
Ut molli caput ambias olivâ.
Sat datum patriæ: tibi ſodalis
Quidquid jam ſupereſt tui, reſerva.
Poſtque belliſonos tubæ fragores,
Poſtque fulmina ſæviora Martis
Offer vota libens bonæ Cytheræ,
Offer ſacra libens bono Lyæo.

HILARIUS *ad* AMICOS.

POtemus teneri mei ſodales,
Potemus vitreis merum culullis:
Reclament tetrici licet Catones,
Reclamentque ſenes licet moleſti,
Potemus tamen uſque & uſque & uſque,
Potemus vitreis merum culullis.
O jucunde liquor, deûm voluptas!
O Lenæe pater, comes jocorum,
Huc ornate levi caput corollâ,
Huc armate ſcypho manum potenti
Adſis ſæpe precor, tuoque ſæpe
Noſtrum fac tepeat calore pectus.
Nam cùm me Lacheſis manet ſevera,
Hec datur properam necem morari,
Juvat purpureo madere vino.
Eia pone manu, puer, nitenti

Terna pocula, dein novena pone,
Et dein pocula ter novena pone,
Dein ponendo modum teneto nullum,
Et bibendo modum tenebo nullum.
Sic curæ fugiunt moleſtiæque,
Sic magnis videor Midarum acervis
Longe ditior Attalique cenſu,
Magno ſcilicet ac Jovi cupito!

PUNCTUS *ab* APICULA CUPIDO,

Ex Græco Anacreontis.

NUper blandiculæ puer Cytheræ
Dum molli violas manu legebat,
Tectam vidit apim, ſimulque læſus,
Eheu mater, ait, tenella mater,
Quam ſævus puerum dolor fatigat!
Eheu, quis puero feret levamen?
Quis nunc doctior auferet dolorem,
Illum quo crucior malum dolorem?
O ſi jam liceat mihi perire!
O ſi nunc peream, lubens peribo!
Agnovit lacrymas Venus puelli,
Et tergens lacrymas Venus puelli,
Rubris oſcula porrigit labellis,
Genis oſcula porrigit rubellis;
Poſtque tam teneram oſculationem
Solatur nimios parens dolores.
O mî pupule corculumque dulce,

Jam

Jam luctus ſatis & ſatis querelæ.
Tantum ſi volucris nocet puſilla,
Quanto tela magis nocent cruenta
Quibus, Nate, homines petis deoſque!

DOLUS CUPIDINIS.

NUper aureolo ſuperbus arcu
Nymphas vidit Amor venuſtiores,
Faunos vidit Amor proterviores,
Et quantum eſt nitidos deûm per agros,
Lætari ſimul & ſimul jocari.
Formam protinus exuit priorem:
Formam protinus induens puellæ,
Pæta lumina blæſulaſque voces,
Et geſtum ſimulat gradumque mollem.
Hinc turbam ſubit inſciam Cupido.
Omnes candidulam putant puellam,
Sibi nemo dolos videt parari.
Artis ipſe tamen memor malignæ,
Hos molli petit excitatque riſu:
Illas improbulo joco laceſſit,
Nunc tractans teretes manu papillas,
Nunc omni oſcula melle dulciora
Furans oſcula tot procis petita,
Furans oſcula tot procis negata.
Ut blando intepuit cohors calore:
Pars cingit roſeis caput corollis,
Pars venuſtula curſitat per arva
Mellitiſque canit modis Lyæum

Quem

Quem ſemper faciles joci ſequuntur,
Quem numquam facilis joci relinquunt.
At puer Veneris, puer tenellus
Depromit celerem manu ſagittam,
Collimanſque oculo procaciori,
Mittamus faciles, ait, choreas.
Sat dulci dedimus ſuperque ludo.
Nunc queis uritur ignibus Cythera,
Nunc queis Jupiter ignibus caleſcit,
Uri vos etiam decet, puellæ,
Decet vos etiam calere, Fauni.
Sic lætus repetit polum Cupido.

Ad MONIALEM PEREGREGIAM.

QUÆ te relligio coëgit, eheu,
Inter clauſtra domoſque nequiores
Triſtem ducere, mî puella, vitam?
Ergo te monachi bibaciores,
Ergo te monachi ſalaciores
Videbunt ſimul, & ſimul tenellis
Dabunt oſcula fœdiora labris!
Ah! tibi male ſit, tibi mehercle,
Vana relligio, ſevera, nequam,
Quæ ſic egregias nimis puellas
Blandorum è manibus rapis virorum:
Quæ ſic eximias nimis puellas
Inter cæca jubes manere clauſtra.

BACCHI STIMULUS.

AD Scyphos, ſocii, ad Scyphos volemus.
Inſanire placet: dies locuſque
Nos ad ſtultitiam vocat decentem.
Hinc procul ſteriles valete curæ!
Hinc procul ſterilis vale Minerva!
Meos neſcio quid meat per artus.
Jam mens inſolito tumet furore,
Jam mî ſævior incubat Lyæus.
Sed furo licèt, ô boni ſodales,
Et furo magis in dies & horas,
Ad Scyphos tamen, ad Scyphos volemus,
Ut queam ſimul in Scyphis perire.
At quàm ſuaviter in Scyphis peribo!

In AMORIS IMPERIUM.

SAT luſi teneram meam Lycorim,
Illam tam teneram meam Lycorim
Cujus in genulis papilluliſque
Laſcivire ſolet procax Cupido.
Sat luſi comulam feroſque ocellos,
Qui me tam miſerè necant ocellos.
Arma nunc, ſocii, canamus arma!
Grandi per populos tubâ ſonemus
Martem fœdifragum atque ſævientem,
Qui poſt fulmina ſæviora belli,
Amatæ gremium petit Cytheræ,

Et fotus gremio bonæ Cytheræ
Sumit millia multa baſiorum,
Poſtque millia multa baſiorum,
Libat gaudia puriora lacte.
Sed quo me levior trahis camœna!
Parabam ſtrepitus ſonare Martis,
At ſemper Venerem cano tenellam,
Et ſemper Veneris cano puellum.

CUPIDO * *ad* TURBAM

Fugientium puellarum.

O Bellæ nimis, ô bonæ puellæ,
Sed bellæ ſimul & bonæ puellæ
Quas plus diligo quàm meos ocellos,
Curſum ſiſtite! non locus timori
Ullus hìc latitat, locuſve fraudi.
Adſum maximus omnium deorum,
Tanto maximus omnium deorum
Quanto nobilius jocoſiuſque
Impono populis jugum beatis.
Ecquid me fugitis? precor, venite.
Quas paro inſidias, placent puellis,
Et quæ tela fero, placent puellis.
Mecum deliciæ, joci, lepores:
Mecum dulcis adeſt cohors amantum,
Mollicella cohors, cohors tenella

Quæ

* *Carminis hujus argumentum ex lepidiſſimâ Gallici cujuſdam pictoris tabellâ deſumptum eſt.*

Quæ ſemper placito caleſcit igne.
Ergo depoſitis venite curis:
Huc ô frigidulas venite ad ulmos,
Dum ſpirat Zephyri tepentis aura,
Dum tellus viridem novat juventam,
Tellus gramine diſcolore picta.
Hìc blandæ Veneri, meæ parenti,
Mollem tollite pallidamque myrtum:
Hìc dulciſſima ſacra factitando,
Vos illi reliquum dicate in ævum.
Sic vobis Venus aureos amores,
Auream ſobolem, aureos maritos,
Sic vitam tribuat diu virentem.

Ad CALLIOPEN *de* MENALCA.

MUSA dic mihi, dic mihi camœna,
Muſa dic mihi quis tuum Menalcam
Nunc tegat locus? an jocoſa vates
Scribit carmina, Tulliumque cautus
Nocturnâ terit & manu diurnâ?
An noſtri meminit vetus ſodalis?
Illum diligo diligamque ſemper,
Dum colet ſtudia & viros peritos,
Sanis auribus audiet loquentes:
Quem non conſpicuum decora virtus
Ornat & bona cura litterarum,
Mihi non placet ille nec placebit.
Ergo, muſa, tibi tuum Menalcam,
Serva, muſa, mihi meum Menalcam.

PHALEUCORUM

LIBER SECUNDUS.

Ad Meam BIBLIOTHECAM.

SAlvete aureoli precor libelli,
Meæ deliciæ, mei lepores:
Salvetote iterum precor libelli
Quos meis ſoleo anteferre ocellis.
Salve culte Maro, latina Siren,
Salve Flacce procax, Catulle, Naſo,
Vos qui carmine delicatiori
Luſiſtis Veneres Cupidineſque.
Salve Plaute dicax, dicax Terentî,
Et quantum eſt hominum politiorum
Quos fas eſt ſimiles deis putare,
Majores etiam deis putare.
Nec vos ô reliqui mei poëtæ,
Priſcis vatibus additi pareſque:
Nec te tranſierim jocoſe Cotta,
Actî blandule, blandiorque Bembe.
Salve Flaminii decens camœna,
Hoſchiique comes venuſte Vallî.
Salve Caſtalio, Ionine ſalve,
Amœniſque jocans Rapine in hortis.
Omnes denique vos quibus negatum eſt

Includi

Includi rigido nimis phaleuco,
Omnes denique quotquot eſtis omnes,
Me ſervate diu beatiorem,
Et curis vacuum moleſtiiſque.
Quod ſi tam lepidam locutionem
Auditiſque bonam precationem:
Vobis polliceor, mei libelli,
Muſas per faciles Apollinemque,
Jucundam mihi nec diem, nec horam,
Partem nec mediam quadrantis, immo
Nec punctum fore quantulum licebit,
Ni vobis fruar, O mei libelli.
Tantum vos amo, vos amabo tantum!

Ad PHILOSOPHUM,

Qui de vacuo multum diſſeruerat.

DUM negas vacuum, jocoſe noſter,
Negas immeritò, jocoſe noſter:
Namque te cerebrum ſatis refellit.

Ad FLAVIUM CAPITONEM.

TE ne per dubii maris pericla
Errare aſpiciam patique ventos
Et diſcrimina fæviora? te ne
Stultus abripit error impotentem?
Ut vivas bene, non tibi talenta,
Non ferax America opum petenda eſt:

Sufficit bona mens bonique mores,
Et plenum niveo lepore pectus.
Flavi respice quot peregrè euntem
Circumstent mala: quantus undiquaque
Intersit timor & locus timendi.
Quare si sapias, fuge æstuosi
Cautes æquoris, & notum furentem
Semper è placido intuere portu.
Tibi quod satis est dedit fruendum
Natura omnipotens. vale diuque
Perduc nestoreos beate soles,
Firmo corpore, mente firmiori.

In SENEM *sui præconem.*

CAlvus ille senex edentulusque,
Nostri quisquiliæ probrumque sæcli:
Ille ludiolus, procax agyrta,
Stultam qui phaleris moratur urbem,
Bonum se putat & vocat poëtam.
Quin & gloriolâ tumens inani
Temnit Virgiliumque Pindarumque:
Temnit dulciculi mei Catulli
Merum delicium, meros lepores,
Et qui dicitur elegantiarum
Atticæque pater dicacitatis,
Temnit Mæonidem, senisque Teii
Musas è trivio putat petitas.
O te, blenne senex, nimis disertum,
Sed te, blenne senex, brevi disertum!

Ad VACERRAM.

BEllum, quod fateor, Vacerra, librum
Miſiſti tenero tuo ſodali:
Malum, quod fateor, Vacerra, librum
Miſiſti tenero tuo ſodali.
Bellum, namque novâ nitet figurâ,
Mauris pellibus, albicante ſuco,
Terſis litterulis, rubente chartâ.
Malum, namque meras inanitates,
Stulta carmina ſycophantiaſque
Ille peſſimus exhibet libellus,
Ille peſſimus omnium libellus,
Qui vel paginulâ parum diſertâ
Laſſaret Bavioſque Mævioſque,
Et ſi quid Baviiſque Mæviiſque
Uſquam eſt ſegne magis minuſve doctum.

Ad CÆSAREM MELISSUM.

DUM te Parriſii tenent, Meliſſe,
Curis dulcibus occupatiorem:
Me Rupella gravis tenet, Meliſſe,
Curis triſtibus occupatiorem.
An nunquam mihi libero licebit
Totas ducere cantitando luces,
Sub quercu patulâ, vel ad ſacrati
Caput fluminis, & manu tenellâ
Narciſſum legere ac roſas virentes?

Feſſum

Feſſum me popularis aura vexat.
Cogor limina principum ſuperba
Manè aſcendere, perpetique faſtus
Et vanas procerum locutiones.
O rus atque animi medela noſtri
Dulcis villula quando te reviſam?
Quando triſtitiis carens metuque
Inter otia doctiora vivam.
Et cum me ſuperæ pigebit auræ,
Inter gaudia læta ſomniorum
Cedam, numine blandiente, morti?

Ad EUNDEM.

TAndem ſollicitos, amice, queſtus,
Tandem pone metum moleſtiaſque.
Vivit perlepidus tuus ſodalis
Quicum ſæpe jocos bonus ſerebas,
Et nunc frigidulam ſedens ad undam,
Nunc dulces nemoris ſecutus umbras
Blandi deliciis potitur agri.
Me Phœbus pater & novem ſorores
Quæ Pindi gelidos colunt receſſus,
Vitæ ſemianimem mihique reddunt.
Jam dulcis recreat cibus miſellum,
Jam premit madidos quies ocellos,
Quam nec rivus aquâ ſtrepens loquaci,
Nec cantus cytharæ jocoſioris
Languenti poterant mihi parare.
Jam ſequi faciles juvat choreas,

Errantem-

Errantemque juvat ſequi puellam.
Ergo tam nitidum diem colamus
Opimis dapibus meroque dulci:
Adſit lætitiæ dator Lyæus,
Adſit fauſta Venus feratque ſecum
Riſus, delicias, procacitates,
Et quidquid levium eſt ubique amorum.
Nam Phœbo & nitidis meis camœnis
Vitæ ſollicitus memorque voti,
Laureâ ex trabe dedico ſacellum,
Fulgens ſcilicet ac polo invidendum!
Huc thus atque roſas feram nitentes,
Stipatus pueris puelluliſque
Quas Amor tenero perurit igne:
Inprimis aderit decens Lycoris,
Non dilecta minus mihi Lycoris
Quam Corinna ſuo fuit poëtæ.
Has grates nitidis meis Camœnis
Singulos referam memor per annos.

CAVILLA *in* REGIUM,

De Baptiſmo & Matrimonio Vectigal.

CUrioſulus ille fabulator
Qui nos blandidico lepore mulcet,
Nuper præcipiti gradu ſubibat
Divæ ſplendida tecta Genovefæ:
Cum ferox monachus rogare cœpit,
Hirſuto monachus tumens Luthero,

Quot

Quot ſunt ſigna tuæ verenda Romæ.
Septem Roma vetus colebat, inquit:
At cum bina ſibi arrogavit ille
Qui nunc Cloviadis regit nepotes,
Quinque Roma recens ſibi reſervat.

In PHILOSOPHOS.

HUC vos, ô tetrici voco Sophiſtæ,
Obſoleta cohors, cohors miſella,
Vos, inquam, ô tetrici voco Sophiſtæ,
Qui noctem teritis diemque totam
Fingendo hiſtorias ineptiaſque,
Volvendo veteres manu libellos,
Queis ſomnum pariunt anus puellis.
Non ſic, credite, comparatur illud
Quod tanto petitis labore verum.
Fictas mittite ſomniationes,
Eia nectareo madete vino:
Exhaurite Scyphos, vorate totum,
Totum, ſi liceat, vorate Bacchum.
Sic, ſic, credite, comparatur illud
Quod tanto petitis labore verum.

Ad AMICOS.

TErram perpetuo rotare motu
Siquis perneget, ô boni ſodales,
Sumat millia multa poculorum:
Poſtque millia multa poculorum,

Terram

Terram perpetuo rotare motu,
Seque cum volucri rotare terrâ
Certus afferet, ô boni ſodales.

Ad EOSDEM.

PUlcrè convenit optimis poëtis
Et noctu bibere & diu libenter.
Nam vixit bene qui bonum Lyæum
Inter pocula dulciora novit.
At quanquam teneri mei Lyæi
Sæpe pocula dulciora laudo,
Non cuiquam tamen hinc licet putare
Malum me nimis & nimis bibacem:
Ut ex verſiculis minus pudicis
Non cuiquam licet æſtimare vatem
Turpi judicio minus pudicum.

Ad VACERRAM,

De Marino eleganti muſico.

SI quod ridiculè, Vacerra, jactas,
Ille nobilior Marinus Orpheo
Quem vix Pegaſidum cohors tenella
Et qui Pegaſidum præit cohorti,
Vix æquare quæat canendo Phœbus:
Ille, inquam, citharæ Pater jocoſæ
Nugarumque pater jocoſiorum,
Foret judicio tuo choraules,
Eheu putidulus foret choraules.

Qui per balnea, porticus, theatra
Plebis corroget adprobationem:
Fores judicio meo, Vacerra,
Auritiſſimus omnium Midarum
Quot ſunt quotque aliis erunt in annis.

Ad GERRIUM.

GErri blandule, quos mihi libellos
Nuper adtulit Italis ab oris
Riccius tuus & meus ſodalis,
Apto tempore perlibenter hauſi.
O Jucundula raritate dona!
O ſuaves nimium, ô boni libelli,
In quibus veteris jocoſa Romæ
Adhuc ſpirat imago, imago blanda,
Immortalem animam probans in ipſis!
At quando mihi jam diu petenti
Tuos Riccius adferet libellos,
Riccius tuus & meus ſodalis?
Quæ te relligio tenet miſellum!
Viſne oblivia ſempiterna condant
Illos verſiculos politiores
Quos primis tener edidiſti ab annis?
Non hoc fama tibi venuſta ſuadet.
Aude carmina clauſa tot ſigillis
Luci immittere, nec ſeveriores
Cenſoris metue invidi querelas.
Nam quis tam ſtolidus tibi videtur
Tuos arguere ut queat labores?

Ad TORELLUM SENATOREM PARISIENSEM.

O Furum pater eruditiorum,
Sed furum pater elegantiorum,
Cras petes lepidæ domum Corinnæ,
Fulgentem ædepol ac domum nitentem!
Huc tu cum advenies, tibi talenta,
Aureos tripodas, ebur reciſum
Et quos India parturit lapillos,
Oſtendet nimium potens Corinna.
Quæ tu cum aſpicies, Jovem rogabis
Te totum ut faciat manum, Torelle.

Ad JOANNEM FABELLUM.

IMmenſas alii domos requirant
Aurumque & maris Indici lapillos:
Veſano niteant trophæa faſtu,
Atque illi tituli ſuperbiores
Quos vix pagina continere poſſit.
Hoc unum à ſuperis peto, Fabelle,
Ut cinctus viridi caput corollâ
Poſſim cum lepido meo Tibullo,
Poſſim cum tenero meo Catullo
Ferri per populos, novâque ſemper
(Mors quanquam invideat) vigere famâ:
Dumque illos alacer leget Puellus,
Dumque illos alacris leget Puella,

Legat nos etiam, ſimulque clamet
Doctâ Pieridum adprobante turbâ,
Hic & dulcis erat bonuſque vates.

IN REGIAS
S. PRINCIPIS ASTURIARUM
Cunas à Natali
STEPHANO SANADONE
Elucubratas.

SAlvete aureoli mei poëtæ
Verſus eximii tenellulique:
Salvetote iterumque tertiumque
Verſus aureoli mei poëtæ.
Blandum quid magis & magis politum
Vidit Caſtaliæ pater coronæ?
Terſum quid magis & magis venuſtum
Scripſere Aonideſque Gratiæque?
Non jam Virgilius, canora Siren,
Non jam Mæonides, medulla Phœbi,
Certent, O Sanado jocoſe, tecum:
Tibi nam, Sanado jocoſe, cedent.
Eia perge pater dicacitatum,
Perge Gallica regna ſeculumque
Ditare eximiis tuis libellis,
Qui vivent mage quam polus ſolumque.
At vives mage quam tui libelli:
Ergo tu mage quam polus ſolumque
Vives, O Sanado perite, vives.

AD

Ad N. S. SANADONEM,

Cum autor Rupefortii degeret.

SI te ruſtica nec lepore blando
Nec dulci Veneris nitens amictu,
Muſa inviſere geſtiat peritum,
Tu qui floſculus es decuſque vatum
Quos nunc Gallia mollicella nutrit,
Hanc ne temne, precor: precor, ſeveri
Vultus exue judicis protervos.
Non ſum qualis eram tuus poëta,
Forſan candidulus polituluſque,
Dulcem qui poteram invocare Phœbum,
Dulces qui poteram fovere Muſas.
At nunc barbaricis gementi in oris
Non bellæ Veneres Cupidineſque,
Non cohors tenera elegantiarum
Occurſat mihi: nullus hìc poëta
Et Phœbum colit & ſacras Camœnas.
Sic olim meus ac tuus gemebat
Naſo, cum peteret Getas feroces.
Ergo candidulum tuum ſodalem
Jucundâ refice adlocutione,
Tu qui floſculus es decuſque vatum
Quos nunc Gallia mollicella nutrit.

PHA-

PHALEUCORUM
LIBER TERTIUS.

Ad ZOILUM,

Qui me Scripto ineleganti carpſerat.

ESTO: vir bonus es dicaculuſque,
Nec planè illepidus nec infacetus.
Potas non malè, garris eleganter,
Pulcrè deſipis, ambulas venuſtè,
Indulgenſque rudem colis puellam:
Congeris benè ſingulis diebus
Nugas, nœnia Sicophantiaſque
Et bellus populo videris autor.
Quidni! vir bonus es dicaculuſque
At dum ridiculo furore captus
Audes ſumere judicis ſuperbam
Et turpem nimiùm ſeveritatem:
Non jam vir bonus es dicaculuſque,
Sed planè fatuuſque ineleganſque.

SOMNIUM, *ad* AMARILLIDA.

O Crudelior omnibus puellis,
Sed formoſior omnibus puellis,
Manè purpureo thoro jacebam.

Deſe-

Defeſſus ſterili labore mentem:
Cum me viſa levi crepare ocello,
Et blandis manibus papilluliſque
Et cultis pedibus capilluliſque,
Factitare jocos meroſque luſus.
Sic te, dum cupiam, frui licebit,
O formoſior omnibus puellis:
Quin te, ſi renuas, frui licebit,
O crudelior omnibus puellis.

Ad FURIUM.

LArvam quid, maleſane, turpiorem
Inducis mihi? quid meum, ſceleſte,
Audaci violas manu libellum?
Ille bellus erat meus libellus,
Jocoſus ſimul & ſimul tenellus,
Quem dum ridiculè atque ineleganter
Larvas, Pieridum infremente turbâ:
Notus non meus eſt mihi libellus.

Ad PETRUM SILVESTREM,

Medicum longè præſtantem.

O Regni decus Anglici venuſtum,
O ſacræ pater eruditionis
Et joci comes & comes Leporum,
Ah! quantas tibi gratias rependam
Qui me ſemianimem è nigrantis Orci
Tetro limine doctior vocaſti?

Te,

Te, dum vita meos fovebit artus,
Te canam meritum atque ad aſtra tollam
Blandis verſiculis polituliſque.
Tu vultu ſapientiam jocoſo,
Tu ſermone potens venuſtiori
Mulces horridulum nimis Catonem,
Atque ipſam exhilaras Severitatem.
Videris mihi Lucianus alter,
Alter Vetturius, Marotus alter,
Catullo ſimilis ſenique Teio.
Nam quamvis Latiâ madens Minervâ
Et Graio ſale tinctus eniteſcas,
Nugaris tamen & tamen jocaris
Tam feliciter, ut queas vocari
Nugarum pater & pater jocorum.
Ergo vive diù: diù tenellos
Urbanis ſalibus bea ſodales.
Dumque nil ſuberit tibi negotî,
Sis noſtri memor, atque ſæpe noſtram:
Mente commemora ſodalitatem.

Ad CORINNAM.

O Doris calathum roſis decentem,
Quas legit tenerâ manu Cupido
Et miſit mihi jam diù petenti,
Blando ſuſcipe, mî puella, vultu.
O gratum nimis eleganſque munus!
O flores teneros venuſtuloſque!
His ornare potes ſinum jocoſa,

Sinum

Sinum candidulumque terſulumque;
His ornare potes comam decora,
Comam molliculamque criſpulamque.
Bella eſt, quæ roſulis coma eniteſcit.
Bellus, qui roſulis ſinus niteſcit.
Ad mihi liceat ſuaviari
Sinum candidulumque terſulumque,
Et tractare manu procaciori
Comam molliculamque criſpulamque.
Noſtro hæc munere digna ſola merces!

In LESBIAM.

DUM me baſiolo fovet ſalaci
Et crebro petit excitatque morſu
Illa Lesbia, quæ tenelli Amoris
Bellè ſurripuit faces & arcum,
Imis ardeo totus in medullis
Et ſecreta calor per oſſa currit.
Non tot aſtra polo nitent ſereno,
Non tot vinea fulgurat racemis,
Quot me deliciæ Cupidineſque
Accenſum exacuunt beatulumque.
Sed, jucundula Lesbiola, quid me
Tantum baſiolo foves ſalaci
Et crebro petis excitaſque morſu?
Te dulci liceat tenere lecto,
Te ſtrictis liceat tenere in ulnis,
Blando deficientem Amoris æſtu!
Quin ſi deficias Amoris æſtu,
Mors tibi hoc pretio placebit, herclè.

Ad SCIOLOS QUOSDAM.

INeptiſſima turba Zoilorum,
Rixoſi querulique homunciones,
Seurræ, Ludioli, tenebriones,
Quos cæcis Erebi furens in antris
Pavit Tiſiphone nigerque Pluto:
Stulta, inquam, ac mala turba Zoilorum,
Non veſtras timeo latrationes,
Nec ronchos, obelos calumniaſve.
Quid ceſſatis? ohe, novi Gigantes,
Tela ſtringite luridoſque dextris
Enſes exerite! undiquaque totas,
Totas colligite undiquaque vires!
Quò vos major agit furor ſceleſtos,
Tantò ſplendidior mei videtur
Fama nominis & decor libelli.

Ad ABR. DE MOIVRE,

Inſignem Matheſeos cultorem.

EUclides nove, cui benigna ſacros
Natura ingenuo ſinus recluſit,
Eia rumpe moras diſertulamque
Mentem concute? quid cupis latere?
Quid tuam obtegis eruditionem?
Soli ſcire tibi nefas ſceluſque eſt:
Aude ſcire aliis, tuoque dignum

Opus

Opus nomine fac brevi nitoſcat
Et doctæ poliatur arte mentis.
Tu ſolers cupiduſque veri amator,
Vias difficiles reconditumque
Luſtraſti catus Algebræ receſſum.
Tu nimis tenero Sagax Catullo,
Jungis Archimedem nimis ſeverum.
Ergo, ſeu placitis amica chartis
Naturæ documenta, ſeu verendos
Committas Sophiæ & ſacros lepores:
Te mirabimur, aureiſque læti
Dotes carminibus tuas canemus.

FELICIS VITÆ ENCOMIUM.

ORnatus roſeâ caput coronâ
Armatuſque gravi manum culullo,
Inter otia doctiora feſtas
Luces tranſigo: Nunc venuſtiorem
Sequor præcipiti gradu puellam.
Nunc Bacchum celebro dapeſque lautas
Et bellaria delicata quæro,
Sagacitate potens Apicianâ.
Nullus me cruciat metus pavorque:
Una me capit & fovet voluptas.
Somno blandiculus fruor cupito
Et quid cras tulerit, parùm revolvens,
Præſenti potior mihique vivo.

SYLVARUM LIBER UNICUS.

DAPHNIS. ECLOGA.

Ad Thomam Lagnium, *Nobilem Philoſophum.*

PIniferi colles muſcoſaque fontibus antra
Dicite quis Daphnim locus obtegat! hunc ego demens
Per ſata, per dumos perque horrida ſentibus arva
Dum quæro, mihi non placidam dat cura quietem.
Quid facio miſer heu? quid queſtibus aſtra fatigo?
Non me Daphnis amat, nec noſtros audit amores.
O dilecte puer, quid amœni gaudia ruris,
Quid cantus volucrum dulceſque in gramine ſomnos
Deſpicis, atque urbem curas urbiſque tumultum?
At tu, ſi liceat, miſero ſuccurre ſodali,
Tu quem præ reliquis meritum colit optima Pallas,
Lagni, noſter amor, ſeu te natura moratur
Dulcibus intentum chartis, ævoque ſequenti
Grandia pandentem ſophiæ præcepta latentis,
Seu calamo reſeras defenſor candidus æqui
Errores populorum & noſtræ incommoda mentis.
Forte per excelſas annoſa cacumina quercus
Cum ſociis ibam canibuſque: agitata faventum
Vocibus & grato reſonabat ſylva tumultu,
Dum cervi damæque leves hinc inde citato
Æquora tranſmittunt curſu, campoſque relinquunt.

Poſtquam altas ventum in valles, ſub tegmine Daphnim
Invenio recubantem: hic molli flamine laurus
Criſpabat frondes, ventoque excita tumebat.
Ut vidi! ut ſtupui! quid non mens audet amantum?
Auſus ego tereti circumdare brachia collo,
Auſus & impreſſis conjungere baſia labris,
Baſia quæ florum ſuperant melliſque ſaporem.
Sed quid tentabam! fugit heu, fugit alma voluptas
Ocyus & vento & celeri maris ocyus undâ.
Namque ubi conſpexit me Daphnis languida ſomno
Lumina detergens manibus, velut acta ſagitta,
Proripuit ſeſe & curſu nemora alta petivit.
Quid facerem? nec me ſuperi nec me aſtra juvabant.
Crudeles ſuperos crudeliaque aſtra vocavi
Incuſans hominum ſortem immeritoſque labores.
Anxius ex illo me tempore mæror acerbat,
Ingenteſque premunt curæ, deformia pallor
Membra tenet, macieſque genas conſumit & ora.
Non magis aut queritur mater quæ plorat ademptam
Progeniem, quam mors primo ſub flore juventæ
Criminis expertem rapuit Muſaſque colentem:
Aut quicumque videt turbantibus aëra ventis
Avelli ſata læta procul pecudumque labores.
O crudelis amor, noſtræ miſerere querelæ!
Quiſquis amat, faveant modo numina, debet amari,
Aut amor ardentes ſenſim mutatur in iras.
Nil jam dulce mihi eſt, non me per inhoſpita ſaxa
Spumantes venari apros juvat: ite capellæ,
Ite domum, ſolâ demens ſub rupe manebo,
Nullaque percipiam felicis gaudia vitæ.

NUGA-

NUGARUM LAUS SATYRICA.

Ad ISAACUM NEWTONIUM,

Omnium qui ſunt Mathematicorum principem.

LUdimur! aut Nugæ toto dominantur in orbe.
Spes hominum vanuſque labor curæque metuſque
Et Sceptra & Regum tituli, ſunt omnia Nugæ,
Aut jocus aut pavidæ fallacia ſomnia mentis.
Non ſecus ac grato fervet dum ſcena theatro,
Hi proceres ſimulant, fert regalem ille coronam
Atque alios habitu ſupereminet: alter Avari
Sub ſpecie latitat, Davum malus alter inertem,
Fingit & immenſos falsâ movet arte cachinnos.
Hæc eſt, ni fallor, vitæ mortalis imago.
Comica res, hominum ſors eſt: ſive alta Deorum
Limina, ſive auro rutilas penetraveris ædes,
Nil niſi commentum illudens nugaſque videbis.
Interea velox celeri pede labitur ævum
Et fugit, heu! precibus nunquam, revocabile tempus.
At tu quem longè inſignem trans æquora vexit
Spectándumque potens orbi conceſſit Apollo,
Inclite Newtoni, noſtras ne deſpice nugas.
Dum tibi ſeſe offert totam Natura ſuaſque
Ultrò expandit opes, dum te Phyſis alma coronat
Egregium meritis & multâ laude potitum,

Da mihi Pieriâ tua tempora cingere lauro.
Eſt quoque Pieriæ decus & ſua gratia laudi.
Non ego vana loquor. nugis ſunt omnia plena,
Et cælum & tellus & nigri regia Ditis.
Nugantur ſuperi, dum cæco fulmine terrent
Attonitas hominum mentes, dumquè imbribus agros
Et liquidum vitiant nigrantibus aëra nimbis.
Nugantur Manes, nugatur callidus Orci
Portitor: ipſe etiam mediis Neptunus in undis,
Dum quaſſas agitat naves pelagique minantis
Commovet horrendos vento indignante furores,
Exultat nugiſque procax lætatur amicis.
Namque ut reticulo volitat pila pulſa frequenti,
Sic nos verſamur, ſuperis ludibria divis.
Vita quid eſt, niſi mobilium farrago jocorum?
Hinc ſtolidi me diâ Reges nugantur in aulâ,
Inde ferus currit per aperta pericula Cæſar
Et fuſo inſtabiles mercatur ſanguine nugas.
Uſque adeo noſtram exagitat vis ludicra mentem?
Quo te cumque feras avidum, nugantis ubique,
At ſtulti paſſim invenies deliria vulgi.
Sed quid ego? quid te ſtudiis gravioribus aptum
Demoror? ipſe cano tenues dum carmine nugas,
Fraudibus obtectam atque atrâ ſub nocte latentem,
Conſpicuus certâ Naturam lege coërces.
Sacra tibi ſervit tenebris Algebra remotis
Eque tuo pendet nutu: ſuper alma refulges
Sidera, mente potens ac doctis grandia chartis
Concelebras Sophiæ documenta & lumina veri
Vive, vale famâque diù potire virenti.

HEDERA.

HEDERA.

METAMORPHOSIS.

AD SCIPIONEM SANTAURÆUM.

MUSA refer diros Hederæ morientis amores,
Quoque modo Phœbum temnit dum cæca potentem,
Arboris induerit mutato corpore formam.
Tu mihi, tu juvenis non inficiande parenti
Dexter adès, tenuemque precor ne deſpice ludum.
Forſan tempus erit cum rure extractus ab imo
Bella canam, meritumque tibi dicturus honorem,
Grandia manſuris conſcribam carmina faſtis.
Dum viridi Phœbus pingues in littore tauros
Paſcit, & extincti labefactus funere nati
Aſſiduas tenerâ ſolatur arundine curas:
Ecce videt nitidos turbâ comitante per agros
Exultare Hederam, quâ non ſolertior ulla
Sive choros agitare juvet, ſeu dicere verſus.
Tunc potuit, ſimul & meruit formoſa videri.
Namque comam levibus dederat diffundere ventis,
Nuda genu pallamque auro ſuccincta fluentem.
Ut ſtupet arcitenens, ut blando carpitur igni!
Ut notat eximios vultus formamque nitentem!
Longè illi Oebalides, longè Peneia Virgo.
Figitur una animis, animos Hedera excitat una.
Hanc colit, hanc ſequitur, curis hanc omnibus ambit,
Auſus adhuc tacitum nulli committere vulnus.
Aſt ubi crevit amor dulciſque inſania morbi,

Fit

Fit propior, Nymphamque petit, nunc mollia ſupplex
Verba ciet, nunc mellitos dat pectore queſtus,
Obſequiiſque animum tentat ſuperare doloſis.
Sæpe illi violas & candida lilia mittit,
Sæpe vocat viſam, lacrymiſque affatur obortis.
Huc ades, inque ſinus precor ô delabere noſtros,
Nympha, poli columen, nec dulcis amica ſubire
Vincla thori pigeat, tædaſve agitare jugales:
Accipe daque fidem. dixit, dextramque tetendit
Promiſſi monimentum ingens & pignus amoris.
Ipſa ſed averſo dejecit lumina vultu
Blanditias fruſtrata Dei, mox alite curſu
Emicat & volucri ſe proripit ocyor euro
In nemoris cæci latebras, ubi paſtor eodem
Igne flagrat, paribuſque fovet ſua gaudia votis.
Altera fulgebat poſt ſævam luna repulſam,
Nec Deus arcanum ſentit miteſcere virus,
Indulgetque malo demens refugitque medelam.
Tantum inter ſylvas ſoliſve errabat in agris
Mæſtior atque Hederam ſtudio quærebat inani.
Quis te, Diva, locus retinet? quò Diva recedis?
Siſte gradum, teque aſpectu ne ſubtrahe noſtro.
Quem fugis, ignoras: quem temnis, amâſſe juvabit.
Plura locuturum dolor occupat: una dolentem
Excipit & vitreis Echo reſponſat ab antris,
Garrula quæ miſeros Echo ſolatur amantes.
Forte aderat lux feſta, ſacroque in littore pagus
Blanda corymbiferi celebrabat numina Bacchi.
Altior erigitur ſertis fragrantibus ara,
Cæde tepeſcit humus, pateriſque undantia centum

Vina fluunt, populo festos iterante tumultus.
Haud mora visendi studio de montibus adsunt
Excitæ Dryades, manibusque in mutua junctis
Exercent choreas & dulcia carmina jactant.
Ipse etiam lauru frontem redimitus Apollo
Adfuit, atque humeros citharâ præsignis eburnâ:
Sive animum fastus seu spes malesana fovebat.
Verum heu! quot fortuna tibi struit aspera luctus!
Namque fatigatum viridi dum gramine corpus
Ponit, & insuetâ lætatur imagine rerum:
Haud procul ambiguo Nympham sub lumine vidit,
Ah! notam nimium Nympham, cui Metis amanti
Arctior hærebat niveisque jacebat in ulnis,
Pastores inter Metis pulcherrimus omnes,
Quem Pani genuit furtim Neptunia Drymo.
Vidit & obstupuit, rabidasque exarsit in iras.
Quippe hærent animo neglectæ injuria formæ
Prælatumque decus turpisque offensa repulsæ.
His super accensus tentat punire merentem
Incertusque timet, pariterque excusat & odit:
Dumque animo nunc huc dubius nunc fluctuat illuc,
Ecquid agam, dixit? spretumne ulciscat amorem
Perfidiamne diu patiar? quam tristia mentem
Monstra premunt? quantis agitantur pectora curis?
Heu feror ignarus rerum: nunc flamma recursat
Acrior, emollitque animos, nunc suscitat iram
Despiciendus honor, pœnasque à crimine poscit.
O crudelis honor, crudelis tu quoque flamma!
Dixerat & limis dum singula lustrat ocellis,
Nil lustrâsse tamen fingit, Nymphæque propinquat:

Illa

Illa ſimul dubiâ venientem agnoſcit in umbrâ,
Mox trepidat, nigroque pavens ſeſe occulit antro.
Phœbus ad hæc: tune infandum prætexere credis
Poſſe ſcelus, noſtraſque diu ridere querelas?
Improba, ſic noſtrum ſperâſti fallere numen
(Proh pudor!) atque deo pecoris præferre magiſtrum!
Non impune tamen, te debita pœna ſequetur
Ultoremque Deum noſces, ſi temnis amantem.
Hæc precor, hoc noſtros monimentum ſignet amores.
Audiit orantem genitor, primúmque peroſi
Segnia paſtoris terræ veſtigia fixit:
Tum vero in teretes abeunt exſanguia ramos
Brachia, & hirſuti volvuntur fronde capilli,
Vox ſupereſt, revocat latitantem voce puellam.
Jamque vale, mea Diva vale, mea ſola voluptas,
Ah! morior tuus, at priſci non immemor ignis
Vive mihi: cortex verba interrupta reliquit,
Nullaque manſerunt veteris veſtigia formæ.
Hìc extrema legens paſtoris verba perempti
Nympha ſtetit, retroque amens ſua lumina vertit,
Lumina, quod poterat, madidis rotantia guttis.
Utque loco ſponſi procera agnoſcitur arbos,
Solvitur in gemitus veſtemque abſciſſa decoram
Flaventeſque comas: fato moriamur eodem,
Dixit, & irruptis jungat mors utraque nodis
Corpora, quandoquidem junxit nos vita beatos.
Protinus accedit caſus ſecura futuri,
Exanimemque tenens blanda inter brachia Metim,
Lethum orat, lethum ſuperi tribuere volentes.
Flexile ſtat corpus, nectuntur membra corymbis,

Pallenteſque ferunt mutata monilia bacchas.
At quamvis rigido præcincta ſit undique libro,
Antiquos tamen heu moriens reminiſcitur ignes,
Ruptaque conjugia & cœptos nequidquam hymenæos.
Ergo ſui ſemper dum vult comes eſſe mariti,
Charaque tortilibus circumdat robora ſpiris,
Extinguenda quidem ni charum aſtringat amantem:
Ille etiam aſtrictæ ſuccum vitamque miniſtrat,
Ac veteres tali compenſat munere flammas.
Fortunata nimis vel in ipſo funere Nympha!
Hanc quoque Phœbus armat, nexiſque ex arbore ſertis,
Te tua mors, inquit, virgo, mihi reddet amantem.
Sed quoniam teneros unà traducere ſoles
Aſpera ſos vetuit, ſaltem poſt fata ſuperſtes
Mecum ſemper eris memorique è pectore numquam
Ulla tuos poterunt oblivia tollere vultus.
Te lyra, te Muſæ, te carmina noſtra ſonabunt,
Perpetuumque geres redivivâ fronde nitorem.
Ex illo celebratus honor, lætumque Camœnæ
Signavere diem, citharaſque & ſplendida vatum
Tempora nexilibus memores cinxere corymbis.

FINIS.

In cultiſſima Carmina

ANDREÆ FRANCISCI LANDESII.

PHALÆCIUM.

GAUDETE ò Charites, Cupidineſque:
Landesî aureolus libellus exit,
Quo nîl terſius, elegantiuſque,
Nîl laſcivius eſt, proterviuſque.
Nam, ſeu vitigeno ebrius liquore
Cantat munera Liberi parentis,
Seu pulchræ tepet oſculis puellæ,
Seu ridere juvat ſeveriores
Inſanæ ſapientiæ magiſtros,
Totus perfluit Attico lepore,
Totus molliculo caleſcit æſtu.
Ergo ſuſcipite hunc novum libellum,
Atque arcete manus ſalariorum
Inſulſis adeò libris timendas,
Ne junctus Baviiſque, Mæviiſque
Unctas ingrediatur officinas.
Sed victor tineæque, Zoilique
Orbem verſibus impleat tenellis,
Intret ſcrinia gentis eruditæ,
Regales penetret domos, & ipſum
Frangat deliciis gravem Catonem.
Hunc noctu juvenes legant, diuque;

Hunc

Hunc & volvere literata virgo,
Et dulces numeros amet tenere.
Non blandus comitem ſibi Catullus,
Non illum tener abnuat Tibullus,
Quo non blandior eſt Catullus ipſe,
Non eſt ipſe magis tener Tibullus.
Tantùm denique vivat ille, quantùm
Vivetis, Charites, Cupidineſque.

FRANCISCO CAPELLANO,

Viro pereleganti

S. P. D. A. F. L.

UT juſſeras, mi Capellane, carmina in unum collegi quæ quondam te ſuaviter inſtigante ſcripſeram. Vidiſti quo amore ad poëticam raperer, quacum voluptate legerem eximios ævi Auguſtæi poëtas, quo contemptu aniles noſtræ ætatis fabellas exciperem. Ea ſemper fuit ingenioli noſtri indoles: quanquam per varia negotia & per varias peregrinationes nobis non licuerit liberum animum ad Muſas referre. Quam vanæ, quam intricatæ homines tenent occupationes! At nunc deorum immortalium favore cum otio non ignobili potiar, totum me ſtudiis quibus ineſt ſuavitas maxima, conſecrabo. Philoſophia imprimis occurrit mihi inveſtiganda: ea ſane quæ non verſatur circa velitationes aut commenta minimè falſa, ſed illa cujus ope homines ab omni ſuperſtitionum inſaniâ liberantur. Hæc ſpes alumnum quon-

quondam tuum lactat, mi Capellane: utinam & te lactaret! Vale & nos ama. Lutec. Pariſ. IV. Non. April. MDCCXII.

EIDEM.

CUM apud homines noſtros, vir amantiſſime, frigeant omnia latini ſermonis ſtudia: nolui Luteciæ Pariſiorum quæ à teneris unguiculis exaraveram carmina, typis mandare. Opus enim noſtrum nec arrideret his homunculis qui optimè de ſe ſentiunt, de veteribus peſſimè; nec his puſionibus quos bellè nôſti, & qui in pangendis aliquot verſibus Gallicis ſummum gloriæ apicem collocant. Rari quippe ſunt quos titillat urbanitatis Romanæ lepos, cujus valdè compos es, mi Capellane. Londini itaque ut in lucem edatur libellus hic noſter, curabo diligenter, cum in hanc urbem pervenerim. Viſendæ enim Angliæ tenet me cupiditas, quæ tibi non improbabitur. Felicem me, ſi Anglis acutâ nare pollentibus poſſim placere! Vale. Lutec. Pariſ. Prid. Cal. Sept. MDCCXII.

IN-

INDEX

Poëmatum quæ in hoc opere continentur.

Poëticum Vaticinium. Pag. 10

Phaleucorum Liber Primus.

Ad Joannem Fabellum. p. 12
Ad Gerrium. ibid.
In Volucrem. 13
Ad Cottam. ibid.
Ad Corinnam. 14
In eandem. 15
Delusus Cupido. ibid.
In Vetturium. 16
Ad Amicos. 17
In Lycorim. ibid.
Ad eandem. 18
Ad Cottam. ibid.
Hilarius ad Amicos. 19
Punctus ab apiculâ Cupido. 20
Dolus Cupidinis. 21
Ad Monialem peregregiam. 22
Bacchi Stimulus. 23
In amoris imperium. ibid.
Cupido ad turbam fugientium puellarum. 24
Ad Calliopem de Menalca. 25

Phal. Liber Secundus.

Ad meam Bibliothecam. p. 26
Ad Philosophum. 27
Ad Flavium Capitonem. ibid.
In Senem sui præconem. 28
Ad Vacerram. 29
Ad Cæsarem Melissum. ibid.
Ad eundem. 30
Cavilla in regium vectigal. 31
In Philosophos. 32
Ad Amicos. ibid.
Ad eosdem. 33
Ad Vacerram de Marino. ibid.
Ad Gerrium. 34
Ad Torellum. 35
Ad Joannem Fabellum. ibid.
In Regias S. Principis Asturiarum. 36
Ad N. S. Sanadonem. 37

Phal. Liber Tertius.

Ad Zoilum. p. 38
Somnium, ad Amarillida. ibid.
Ad Furium. 39
Ad Petrum Silvestrem. ibid.
Ad Corinnam. 40
In Lesbiam. 41
Ad Scioles Quosdam. 42
Ad Abr. de Moivre. ibid.
Felicis Vitæ Encomium. 43

Sylvarum Liber.

Daphnis, Ecloga. p. 44
Nugarum Laus Satyrica. 46
Hedera. Metamorphosis. 48

FINIS.

BL